ORATIO LEGATORVM PRINCIPIS CONDEI,

AD SACRI ROMANI IMPERII

PRINCIPES ELECTORES

FRANCOFVRTI.

Habita die sexta Nouembris.
M. D. LXII.





BRIXIÆ, *Apud Damianum Turlinum,*
Diligenter Imprimebatur.
Ad instantiam Ioannis Baptistæ Bozolæ.
Anno M. D. LXIII.

ORATIO LEGATORVM PRINCIPIS CONDEI,

AD SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPES ELECTORES FRANCOFVRTI.

Habita die sexta Nouembris. M. D. LXII.





Vod in cæteris omnibus causis manifestum esse solet Reuerendißimi, & Illustriß. electores, Potentißimiq; Principes, ut in primis intelligant omnes apud quos agitur, pro quo, & in quem dicatur; id nobis positum esse video in controuersia, dum disceptatur, vtri eorum, qui in Gallijs contendunt, Regis partes tueantur, & foueant. Ostendemus autem, dum dicimus apud uos in hoc uestro sacri Imperij conuentu pro Illustriß. Principe Ludouico Borbonio (qui primum ordinem, unà cum Fratribus inter agnatos stirpis Regis Francorum tenet) nos non tam ipsius, quam Regis Christianißimi, Regniq; causa agere. Nihil enim adferimus, quod ad Principis condei propriam, peculiaremq; causam authoritatem, aut dignitatem pertineat; sed miseram Regis nostri conditionem, ac totius Gallici populi tristes, & acerbos casus, quos utinam, ut merentur huic sacratißimo conseßui depingere, ac ob oculos ponere poßemus. Nam ut miserandum est imprimis, ita in auditũ nostro seculo Regem iure naturæ, à Deo optimo Max. constitutum, dum impuberem ætatem agit, eo redactum, ut in medijs Potentißimi Regni Penetralibus tuto conquiescere non poßit, eorum improbitate, qui Regnum affectant, innocentemq; puerum in Regni, & uitæ discrimen uocant, eiusque fratres, & matrem eisdem calamitatibus inuoluunt; sed ijs artibus, vt interim se nihil magis cogitare prædicent, quàm Regi, & Reipu. adesse in officio, quibus uel optimos quosque, uel prudentißimos se

fallere posse existimant. Quæ du[illegible] spargunt in [illegible] [illegible]unt, ut Principis condei famam, (quæ semper Dei beneficio integra futura est) criminetur, & calumnietur. Quod ut intelligant Vestræ Reuerendiß. & Illustrißimæ celsitudines petimus, ut pro uestra humanitate, Germanoque candore iudicia uestra tantisper suspendatis, donec audita causa liqueat unde tanti mali fomes, & origo prodierit, tum demum pro uestra æquitate, & prudentia expendatis; quis nam istius Gallici Regni dilacerationibus causam prebuerit. Quod si nos cogant inimicorum criminationes in eos tela eiicere unde fuerunt emissa cum acrimonia ueritatis id ad causam pertinere existimatis, atque ad Innocentis. Principis condei defensionem, qui à culpa longißime absit, semperque abstinuerit ab omni Reipub. perturbatione, atque tumultu, sic fiet, ut dispersis; depulsisq; tenebris, & nubibus, quas aduersarij nostri cogerunt, ueritas ipsa nuda de se testimonium probatißimum reddat.

Principio itaque sic nobis statuendum est Regnum, Populumq́; Franciæ suis proprijs legibus semper stetisse, quas à maioribus Germanis acceperunt, sed ut sunt natura suarum legum tenaces Galli (quod de Massiliensibus antiquitas testatur) quod semel legibus cautum esse sciunt, uix fieri potest, ut refelli patiantur, eas leges à maioribus acceptas ante Caroli illius Magni Germanorum Imperatoris, Regisq́; Francorum Augustißimi tempora salicam legem nominarant; quæ cùm non immeritò semper habita fuit neruus, & fundamentum nostræ Reipub. hactenus nefas esse duxerunt nostri maiores quicquā in ea mutare, uel antiquare, eius autem legis precipuè sunt duo capita, videlicet, ædictum de succeßione in Regno. Alterum, quod presentis est instituti, respicit personam Regis constituti in pupillari ætate, aut errantis mente. Ait enim, uocandos esse ordines Regni (quos status uocamus) & ex eorum sententia constituendam esse Gubernationem, Rege enim non dum adulto penes ipsos ordines est summa Reipu. ac ius belli & pacis. Igitur Rege Francisco secundo ad Regnum uocato, diu, multumque dubitatum est quatenus post puberem ætatem ordinum consilio, atque auctoritate Reges indigerent, sed hanc litem Regis immatura Mors diremit. Deinde coactis rursus ordinibus propter Caroli Regis puerilem ætatem, omnium ore, atque consensu, qui comitijs interrant has leges constituunt, decernunt, ac publicant, ad quas ut diligenter animaduertatis etiam, atque etiam contendimus à Vestris Reuerendiß. & Illustrißimis Celsitud. in illis enim consistit totius negotij prora, puppisq́;, & uertitur, totius contentionis Cardo. Illorum autem legum quatuor fuerunt capita.

Primum, omnium applausu, Principumque Regiæ stirpis consensu, exemplis, causisq; grauioribus propositis decreto publico Regia tutela, Regniq; administratio Reginæ Matri Regis defertur, quam monuerunt, ut quantũ in se esset honesta patrimonia æs alienum(quo grauiter Respu. premebatur, dissolueret. Populum uix respirantem oneribus leuaret, collapsam Rempub. restitueret, & pacem, quietemque populi, domique forisque procuraret. Hoc itaque legis capite soli Reginæ (interea dum Rex adolescit.) Regni competit administratio frustraq; in alijs queritur & desideratur.

Alterũ caput decernit repurgandũ esse Regiũ consiliũ eis hominibus, quibus plus metuitur damni, quã speretur auxilij, atq; illis qui alieno Principi suam fidem obstrinxissent, in quorum numero habendos esse uoluerunt Ecclesiasticos omnes qui Romano Pontifici iuramento sint deuincti, qui Regi plerumque est inimicus, aut cum ipsius inimicis confederatus, nec licet Regi prius eorum defensionem suscipere, quàm ab ipso Pont. approbati fuerint. Preterea absurdum est Cardinales, aut Episcopos in aulis uersari cum sit muneris ipsorum perpetuò adesse Pontifici, horum uerò preesse suis Ecclesiis, & earum curam agere, quod ad ius diuinum pertineat à regibus temperari non potest. Insuper exemplo Senatum Regna non possunt duo, pluresque fratres, sicut, nec patres cum filijs in Regium consilium admitti, nisi illi qui de regia stirpe fuerint, & sanguine, ut uocamus Principes, quos natura ipsa, non sola hominum prudentia ad Regis consilium uocat. Qui autem Regio Fisco præfuerunt, aut sacram pecuniam attrectarunt, interim dum id muneris exercent, & donec iustas portiones reddiderint inter Regis secretiores conciliarios non sunt habendi, quod etiam pertinet ad eos quibus immense, & in officiose a Regibus preter Regni statuta factæ sunt; eos enim repetundarum reos leges constituunt. Ab hoc autem legum articulo pendet coniurationis, & conspirationis Guisiæ cum Conestablio, & Marescalco Fomes, & origo, quia se repetundarum crimini obnoxios esse intelligunt, & a Regio Consilio depulsos, quod pœnis ni fieret, ui, minisque grauioribus frustra attentauerant.

Tertium caput est, ne interea dum Rex pubescit absque ordinum statutuumq; sententia quicquã ad bellũ, aut ad grauiores sumptus faciendos pertineat attentetur; ad arma Regis subditos nemo prouocet, qui contra ausi sint in eos damna belli populari actione reperiri posse tanquam ab inimicis pacis, quietisq; publicæ.

Quarto capite religionis causam à seditione separarri placuit, at ut

nemini placeat propter alterius religionis causam quenquam pro seditioso, & rebelli damnare. Item cautum est, ne in posterum alterius religionis causa, cui quãuis fiat publica, aut priuata; utq; iudices prouinciarum non patiantur quenquam insectari, qui euangelicam reformationem profiten tur. Verum illis ubique templa ad suæ religionis exercitium concedantur, in quibus libere audiant Verbum Dei, & sacramenta administrentur ab Euangelicæ doctrinæ ministris. Ad hæc statuta placuit uetera omnia adicta religionis causa publicata reduci, & temperari.

Has leges egerrime tulerunt coniurati, quibus constitutis solitoque statutum conuentu cum extricare se non possent, ab ordinum sententia atq; iudicio, quibus & excluduntur à Regis consilio, & ad calculos, & repetundarum examen uocantur. Quærunt modis omnibus explicandæ con iurationis uiam. Interea magna cura, & diligentia unitatem Ecclesiarum procurat Regina, ut sagaci, et maturo in omnibus rebus est ingenio; conuocatis undique Ecclesiarum præsulibus cum aliquot Theologis scolæ Parisiensis & Monachis, quos Roma abduxerat Ferrariensis Cardinalis, & Legatus. Aderant preterea euangelicæ professionis ministri duodecim; qui de doctrina sua cum Pontificijs placidè, absque amarulentia & contentione litigiosa differerent, ut piæ concordiæ rationem aliquam inirent. Sed hæc sancta consilia perturbauit suis factionibus insignis ille Cardinalis, qui dum hoc agit, ut Romano Pontifici suam operam probet, & honestos Reginæ conatus impediat, efficit, ut ille conuentus sine ullo fructu solueretur. Cum uero de confeßione Augustana sermo incidisset, scitatus est, an illi subscribere in negocio uellent nostrarum Ecclesiarum ministri. At uero rogatus ipse quid de reliquis eius confeßionis articulis sentiret, magna uocis, animiq; asperitate & contentione respondit se to tam confeßionem improbare, & detestari. Nostri contra, modis omnibus se laudare, & se approbare dixerunt, à qua suam nihil ferè dissentire ex utrinsque collatione (utramque enim habenbant in manu) facilimum esset probare. Quod si uideantur in articulo de cena utrunque dissentire, id quidem esse leuius quàm multi existiment, sed quorundam ambitione, & moribus in immensum exagerari.

Constat enim utramque partem idem religionis fundamentum, ac sacramenti cœnæ fructum, finem, & effectus eosdem constituere. Tantum cauetur, ne ueritati corporis Christi aliquid derogetur. A uobis autẽ Reuerendißimi & Illustriß. Principes magnis precibus contendit Princeps, Condeus omnium nostrarum ecclesiarum nomine, ut alicubi in ipsa Germania Synodum indicetis, ad quam promittit se effecturum, ut ueniãs pre

cipui nostrarum ecclesiarum Pastores, qui placidè animis compositis facilibusq; cum uestris de rebus controuersiis disserent, omnesq; controuersias coniunctis suffragijs puro Dei uerbo decident; ita ut omnibus constet, utramque gentem eadem fidei, & religionis puritate, & sinceritate Deum colere. Tandem cum uiderent nihil sibi feliciter succedere, qui legibus ordinum damnati erant, persuadent Reginæ & Nauario noua inire consilia, quibus sperant, ut ordinum Regni decreta pereant, & refellantur. Quare consulunt, ut aliam rationem in eant componendo istas controuersias, & ad eam rem delegant eos, quos Regi, & sibi multis beneficijs deuinctos esse scirent. Ne tamen horum consiliorum auctores publicè haberentur, putant ante sibi è Regina discedere quàm uniant consilium. Verum cum multa animo uersarent, Guisii tentarunt facinus, quod si successisset maximis alijs motibus initium dedisset. Pridie enim quàm Guisius discederet ex Aula rei ita composita. Dux Nemorsi, Aurelianum Illustrißimum Ducem in Regis cubiculo, & tanquam iocans ac uelit usque expatiari cum Guisiis. Ibi enim apparatos ludos, & spectacula, quibus delectetur. Ducem uero lothoringiæ simul cum coniuge maximo desiderio istius teneri; proponit postea pericula quæ Regi fratris, et sibi ab Hugonouis iminerent (sic enim cõtumeliæ causa nominant eos, qui nostram religionem profitentur) aitque ueluti ex oraculo non esse dubium, quin Rex Nauarre, condeusq; Princeps de occupando Regno cogitarent, istius nouæ quàm dicunt religionis pretextu; cumq; non persuasisset, cedit Guisio, qui alijs rationibus puerum agreditur, ac torquet, sed eodem euentu succedit Patri Guisio Gennilla, qui etiam ostendit qua ratione abduci poßit, nimirum ut media nocte è fenestra demissus imponeretur Rhede, & sic uelocibus equis in Lothoringiam adduceretur. Sed ne is quidem plus profecit apud sodalem, quàm aut parens, aut Nermosus. Cum autem hæc emanassent, rogatus Aurelianus in Regis consilio hoc ipsum negocium aperuit Rege Fratre, & Regina matre, ac Nauarro presentibus. Habetur, & Nermosi confeßio è sabaudia transmissa, in qua hæc fatetur quidem, sed iocum pretendit. Qui autem ludus esse putet, unde tot crimina oriuntur. Quod autem re ea molietur, facile est cuilibet iudicare, qui Reginæ & Gallicæ rationes, & statum utrumque nouerit. Guisij uero ea specie deiecti secedendum esse existimarunt, quousq; aliquantum ea inuidia de flagraret, & ad eos accedere; qui eorum artes ignorarint. Nota est omnibus uirtus, & pietas illius Principis apud quẽ diuerterunt proximo Ger. ad Tabernas Alsatiæ cui suis simulationibus conati sunt imponere, dum fingunt se professores Augustanæ confeßionis à

qua uix ita pridem abhorruerat Protheus ille Cardinalis, eorum ſanè diſceſſus ex Gallia magnam ſpem pacis, & quietis nobis prebebat. Interim ubique in Gallijs uerbum Dei reſonabat, atque adeo in ipſa Regia in primatum, magnatumq; domibus impura omnia, & blaſphemiæ rixæ, odia, & cetera eiuſmodi quæ facile irrepunt in animos eorum qui de deo, & de ſua ſalute parum diligenter agitant, uidebantur ita compreſſa, ut eam mutationem nemo ſatis mirari poſſet. Nulla tunc ferè urbs, nullus paghus, ex præcipuis absque uerbo Dei. Magna etiam aduerſariorum tolerantia, qui quamuis ſanctam Dei doctrinam, non ſatis probarint, pios tamen mores, & ſanctam fidelium mentem nunquam non ſatis laudare, & commendare poterant ſumma Dei gloria, magnaque omnium admiratione.

Interim è parlamentis, & ſenatibus, qui frequentes ſunt in Gallia conuocati Die & loco, preſentibus Regię ſtirpis Principibus, atque uetere uniuerſo Regum conſilio conſultant. Adeſt coneſtablius, Adeſt & Mareſcalcus, qui nouam Tragediam, nouoſque tumultus lęti expectabant. Inſtabant ordinum actores, monentes nouandum nihil eſſe, ſed in ordinum ſententia ſtandum, repurgandumq; prius eſſe Regis conſilium, quam quicquam conſtituatur, contra nihil non licere ſibi putabant illi, quos ordines à Regis conſilio depulerant, & Reos pecculatos feciſſent Verum cum multis ignota eſſet ordinum Gallicorum poteſtas, nemini in mentem uenire potuit, conſtitutas ab ordinibus leges damnari, & abrogari, ac uniuerſum refigi à quoquam poſſe, ſed ut cum Guiſiis abſentibus, & ſocijs preſentibus in aliquo conſentirent, nouum edictum menſe Ianuario conſtituunt, quo libera uerbi, ſacramentorumque poteſtas miniſtris euangelicæ doctrinæ conceditur, id modo fiat extra urbium ſepta, & abſtineatur à templis Romano cultui dedicatis. Integrum ſit præterea cuilibet impunè, & libere quam uolet ex illis duabus religionem ſectari. Quod decretum, cùm ingratum eſſet euangelicæ doctrinæ doctoribus, preſagirentque inimicorum dolos, quos exitus ipſe ſtatim aperuit, nimirum hoc ideo decerni, ut inermes, & procul à ſuis ædibus, procul auxilio magis eſſent aduerſariorum, in uarijs obnoxij, atq; illis facilis præda fierent. Noluerunt tamen Reginæ Nauario Regi, cæterisq; tanti conſeſſus hominibus repugnantibus moleſti eſſe. Verum propoſitis conditionibus acquieuerunt, hoc tantum petentes, ut bona fide obſeruarentur, & tuta eſſet absque Fraude pacis conditio.

Hoc ædictum Singulorum ſacramentis confirmatur, atque inprimis a Nauario coneſtablio, & Mareſcalco, qui poſtea illud idem ſacramentum

apud

apud Reginam repetunt. Addunt etiam iurati se nunquam, qui in ædi-ctum incurreret gratiam petituros esse; ædificantur in suburbijs ligneis tabulatis loca publica; abstinentur à templis & excrescente in dies singulos magis, atque magis per uniuersam Galliam populo ad uerba Dei auditionem concurrente, atque luthetiæ parisiorum, ubi continuo tanta auditorum copia affluxit, ut ad triginta hominum millia conuenerunt, in credibili modestia, necesse fuit sub diu populum conuenire, qui apparatis locis contineri non poterat.

Tantum populi consensum, & Euangelij progressum cùm ferre non possent lucis Christianæ hostes, à Conestablio monetur Guisius, ut statim in Aulam redeat, & crescentibus malis maturè occurrat. Reuocabatur etiam Nauarri literis, quem facta spe Regni Nauarræ recuperandi, & quibusdam uanis inanibusq; prouisionibus Pontificij in suas partes pertraxerant. Redit itaque Guisius qui inermis discesserat fugiens, cum magna satellitum armatorum manu, ac in ipso ueluti limine dum ostium cæpit apertum esse uerbo Dei, quod magis adolescebat uiribus, dum sibi nihil metuunt Ecclesiæ, tutasq; se putant ædictorum, ac senatus consultuum auctoritate, nulla accepta injuria omnes ecclesias uastat, & ab eo suisq; crudeliter trucidãtur uascij quos in precibus publicis pietati operã dantes offenderant, occisis etiam fœminis, & infantibus ab uberibus matrum pendentibus Regina ubi resciuit Guisium aduentare, uerita ne contigeret, ea, quæ postea acciderunt, obtestatur ne luthetiam accederet. Ille uero contemptis mandatis, uel potius precibus eò uenit stipatus plerisq; suæ factionis proceribus, ac aliquot centurijs equitum armatorum, & qui primo temerario ausu legis Patriæ uiolasset, dum armatus hostilique animo fines Galliæ attigit, & ingressus est (quod iure gentium capitale est; sic non dubitauit ad luthetiam Regni præcipuam urbem progredi, ut ab illa magnifico appardtu armatus exciperetur neglectis legibus Regni. ob eam rem Carolus Imperator Max. cum iter faceret per Gallias, uoluit armatus ingredi luthetiam in apparata solemni pompa, etiam si magnopere rogaret Rex Franciscus, ut id faceret; quod sciret ad solos Reges hoc pertinere: exceptus ergo Guisius magno applausu, & gratulatione populi Parisiensis incitati à sacrificulis cuius magna multitudo audito eius aduentu effusa est extra portas, ut cum faustis, ac clamationibus exciperet; qui honor etiam solis Regibus præstari solet. Acceßit ad eum præfectus urbis & illi suam operam, sua officia detulit; quod sanè non iniustam metus suspitionis causam nostris præbuit, cum præsertim recens esset memoria patratæ Vascianæ crudelitatis. Verum cum sub

aduentum Guisii in Gallias Regina literas accepisset ab Hispanijs Lusitania, & sabaudia in quibus tota conspirationis series præscribebatur, animaduertens in quantis periculis uersaretur accessit ad se Principem Condeum in Arcem de Moucelaux. Reginæ peculiare castrum, & ostendit quid coniurati moliantur, manet, & magnis precibus contendit, ut conuocatis amicis, colectoque milite se nefarijs istorum conatibus opponat. Postea uerò conspiratione ita patefacta, ut iam dißimulare non posit. Regina crebris literis, & Nuntijs condeum manet non amplius esse differendum, sed Guisij reliquorum coniuratorum conatibus maturè esse occurrendum, cumque Regina constituit exercitus Ducem defensorem Rè giæ suæque libertatis. Illic aderant pleriq; primariæ & antiqui, & antiquæ libertatis uiri, quibus etiam illa imperauit, ut Regios subditos hortarentur ad sequenda signa condei, & ad se opponendum Guisiorum coniurationi extant litere ipsius Reginæ manu scriptæ, quæ de Principis condei erga Regem, & ipsam obedientiæ testimonia ferant, quibusq; se ei, & liberos commendat, polliceturq; Regem officiorum eius memorem fore. Alijs literis iubet, ne prius arma deponat, quam ab aduersarijs posita uideat. Præcepit etiam Amirallio Soubize, alysq; ordinis Regij æquitibus, ut una cum Condeo Regem iuuarent, quo facilius Guisianam coniurationem opprimere posset, à qua uoluntate ipsam nõ amplius destitisse testabuntur ea; quæ uix ita pridem ad oppidum Bogenciacum Principi Condeo, reliquisq; exercitus eius Principibus dixit, cum serio fassa est, se uitam, & dignitatem illis debere. Quæ longe diuersa ab illis literis, quas nostri aduersarij, ui, metuq; ab ea extorqueri solent. Ne autem nobis hac in re imponi existimetis, en proferimus quaternas literas ipsius Reginæ manu scriptas; quas argentorati genorosißima socrus Condei Principis ipsius mandato nobis tradidit, quas certè à uobis, & legi, & uideri magnopere cupit Condeus Princeps, reliquas apud se seruat, quas propter itinerum pericula non est ausus nobis concredere, quas ad uerbum Latinas fecimus, illarumque Archetypa post huius orationis finem conscribi curauimus, earum autem est hæc sententia.

Mi Cognate significauit mihi Baro della Guardę quæ ipsi dixeris, quibus mi Cognate tantum fidei habeo, & habui, ut mihi ipsi maiorem non habeam nunquã obliuiscar, eorum quę Regis filij mei, ac mei causa facies. Quoniam ad te redit ob causas, quas indicabit, plura non scribam, tantum peto, ut ipsi fidem habeas in eis, quæ tibi dicet nomine eius, cui non minus, quàm matri fidere potest. ea est Catherina tua cognata.

Mi cognate non minus libere cum Lauij sum locuta, quam tecum fuis-

sem de eius fide non dubitans, & certè credens eum nemini, prӕterquã tibi ista indicaturum, teq; nunquam dicturum ea, à me esse profecta, memineris autem incumbere tibi curam conseruandi liberos, matrem, & Regnum, tanquam ei cuius plurimum intersit. Non dubito has literas statim à te exorandas.

Mi cognate habeo tibi gratiam, quod non graueris de rebus tuis tam sӕpe ad me scribere, & quoniam spero me uisuram te breui iam minus prolixè ad te scribam, tibi autem persuadeas, quod nunquam obliuiscar eorum quӕ mea causa facis. Quod si Deus me ex hac uita euocauerit, antequam mihi detur occasio animi mei gratitudinem erga te ostendendi, dabo tamen operam ut liberi mei eius rei olim sint memores. Huic qui reddit literas aliquid concredidi significandum tibi. Quare peto, ut ei fidem habeas intelligis sine dubio, me quicquid facio, ideo facere, ut omnia paci, & tranquilitati restituam, quod scio non minus expetere, quam tuã cognatam Catherinam saluto tuam coniugem socrum, & auunculum.

Mi Cognate tam multa uideo, quӕ mihi displicent, ut uix poßim me colligere nisi me solaretur spes, quam in Deum repono, & fiducia, qua mihi persuadeo te certò mecum coniuncturum omnes tuos conatus ad conseruandum hoc regnum, & Regis filij mei auctoritatem, & subditorum erga eum obsequia, etiam si irrumpantur, qui omnia conantur uertere, sed spero me tuo consilio & auxilio frӕtam adhibituram remedium istis malis, & quia huic qui has literas reddet prolixe explicaui de ijs rebus meã sententiam, eam iam non repetam, peto, ut ei fides adhibeatur, in his quӕ utriq; uestrum significabit nomine tuӕ cognatӕ Catherinӕ.

Ex his, quӕ iam dicta sunt Reuerendiß. & Illustrißimi Principes satis nobis liquere putamus Principem condeum non priuata aliqua cupiditate, sed instante mandato Reginӕ arma sumpsisse, ut eorum conatibus se opponeret, qui ui, & audacia leges Regni uiolabant, pacem, & tranquillitatem publicam perturbabant, ac summum magistratum nobis à Deo concessum in seruitutem redigere conabantur. Si quid à Condeo Principe peccatum est, in eo est peccatum. quod initio aduersarij par, aut forsan instructior non statim eos inuasit, & oppreßit. Verum optimus Princeps noluit esse auctor eorum ingentium malorum, quӕ iam in Gallia cernuntur. Non enim existimauit istos homines adeo exuisse omnem humanitatis affectum, quin tandem mouerentur pietate erga patriam, & reuerentia erga optimӕ spei Regem, à cuius auo, & parente ex non magna fortuna euecti sunt ad illas ingentes opes, quibus iam ad omnia perturbanda abutuntur. Sed plus potuit in animis eorum immoderata am-

bitio, quàm hæc omnia. Dolebant enim se excidisse ea auctoritate, qua superiorum Regum, & præsertim Henrici tempore pollebant, cum omnia pro suo arbitrio administrarent, & existimabant iam sibi dari occasionem eam recuperandi, quæ non facile esset à manibus dimittenda. Id enim non potuerunt sperare Regina summa cum prudentia Regnum administrante; quæ de filij incolumitate, ac Regno prospero successu sollicita ut uitaret occasiones tumultuum, ambitiones à Gubernatione dimouere tentabat; Regnumq; frugaliter gubernare cœperat, paulatimq; dissoluebat illud ingens alienum à Rege Henrico conflatum. Itaque cum isti animaduerterent hæc esse minime oportuna, suis consilijs mutauerunt eam cum Rege, ac Aurelianen. redigen. esse in suam potestatem; ut eorum nomine ad suas cupiditates abuterentur. Multis igitur armatis stipati profecti sunt ad fœminam, duosque pueros imbelles, & sine uiribus, quos omni præsidio destitutos facile in suam potestatem redigerunt. Degebant tunc temporis in Regia illa domo Fontis Bleaudi; qui unius Diei itinere abest à Luthetia millis artibus munito loco; neque ignotum illis erat Condeum non laturum tantam indignitatem repugnantes eos & multis abortis lachrymis conquerebatur, iniuriam deprecantes melodium abduxerunt, & incluserunt arci, quamuis carcerem uerius quàm arcem dicere posses: Rex emissis multis lachrymis cõquerebatur se abduci à loco amenissimo ad castrum, à quo maximè abhorrebat. Sequebantur Reginæ eius latus immodici, quæ etiam negabat omnino eo ituram. Verum responderunt licere quidem ipsi manere si uelit, sed se planè constituisse Regem abducere. Hoc egregio facinore perpatrato præmisserunt Luthetiam Conestablium, qui populum iam sua sponte fruentem aduersus nostros magis concitaret. Quod sanè pulchrè præstitit. Non enim puduit hominem penè decrepitum, & tantæ dignitatis ab ipsa prima adolescentia præbere se Ducem stolido populo, ad exurenda illa ædificia in quibus nostri religionis causa conuenire solebant. Luthetiam sanguine replet: populum ad arma, ad prædam ad dilanian. concitat. Marescalcus à sancto Andrea sibi Senones delegit in quos seuiat per suos, & Cardinalis Guisii Senonum Archiepiscopi auxiliaribus copijs in quos crudelem Tirannidem exercent, & barbare debbaccatur. Seuit in fœminas pueros, puellasq; omni genere mortis ex quibus secundo flumine deducta sunt Luthetiam innumera corpora natantia, quæ oculis Regis oblata sunt, dum aliud agit ad fluminis sequani Ripam Luthetiæ, atque illorum exemplo omnia miscentur cædibus per uniuersam Galliam ad montes usque Pireneos, per totam aquitaniam, quarum facient fidem Tolosa, castrum Darij Bordegallia; illinc

ad Britannos usque percurrit; testes Andigania Burgundia, insuper, atq; Prouincia Saumorum, Turonia, Pictauia, Blese Piturix, Isodonum, & Delfinatus; adeo ut huius crudelitatis calculos tenent, ad triginta hominum millia cęsa fuisse mensibus quatuor, ex his, qui euangelium profitentur; referant misera locorum omnium calamitate, quos tutos esse oportuit. Ordinum iudicio postea ædicto Regio, atq; etiam sacramentis Principum Consulumq; atque adeo Senatus consultus. Vbi nunc nobis miseris afflictißimisq; Gallis Sacro Sanctum ius patriæ, ordinum nostrorum olim inconcussa potestas? Vbi iusiurandi toties repetita religio? Vbi sacramentorum dignitas, & pondus? quid ab illis speratur, quos Dei omnipotentis sacrosanctum nomen, fidei dignitas, iusiurandi uiolati metus, nec mouet, nec urget: si omnis controuersiæ finis est iuramentum, quomodo sperabimus horum tumultum faciles exitus cum illis, qui nullo Dei honore & gloria tanguntur?

Susceptis armis, compositoq; aliquantum exercitu Condeus Princeps Aureliam delegit, in qua se suosq; recipiat, & Guisiis iam pridem instructis se opponat. Ne tamen hoc bellum multa secum traheret incommoda uisum est condeo iustißimas pacis conditiones offerre Reginæ Nauarroq; fratri se discessurum ab armis à Regia, atque etiam Regno ipse sanguinis Regij Princeps, modo easdem conditiones suscipiant aduersarij. Monet Princeps uicinos succurrant Regi pupillo, pacique publicæ, quod dum agit, apud uos Principes Illustrißimi factum est uestra humanitate, ut eo fine legatos uestros in Galliam decreueritis. Verum Guisius consilio Cardinalis Turbulentißimi conditiones spreuit; Legatosq; impediuit officio defungi. Iterim externas copias euocant Heluetiorum, Hispanorum, & Italorum atque etiam Germanorum, Ducibus Rogendolfo & Reingrauio; atque istos tres coniuratos non puduit Regi, & Reginæ scriptum exhibere, in quo dicerent coniuratione facta se non prius ex aula discessuros, quàm in uerba Pont. Romani iurarint omnes Regis subditi officiales, præsertim, qui munus publicum gerunt, aut magistratum. Quanta est ista arrogantia tres homines decreto ordinum exclusos à Regio consilio uelle Regi, & toti Regno in tanta re prescribere; sed ideo faciebãt, ut omnia turbarent, ne institutas aduersus ipsos repetundarum & peculatus actiones ordines Regni persequi possent. Nam si liberum iudicium de his rebus institueretur, sciunt se non posse pœnam euadere, nec posse retinere ingentes illas opes, quas undecunq; rapiendo sibi collegerunt; exemplo sit illis Conestablio de Glissen, qui ex eo quod sexdecim centenis millibus librarum auctus fuisset omni dignitatis honore, muneribus publicis

destitutus miseram postea, & priuatam uitam agere iudicio damnatus est. Nemo ignorat quàm tenues fuerint Conestablij fortunæ, cùm primum à Rege Francisco primo in Regiam acceptus est. Quid ex facultatibus paternis Guisio successione contigerit. Quam miseris algentibusq; parentibus ortus sit Marescalcus Andreanus antequam ad aulæ delitias, & pariũ honesta officia uocaretur.

Quomodo autem ab ipsis administrata sit Resp. atq; eo inprimis tempore, quo Rex Henricus regnauit uel ex eo constare potest, quod Rex Henricus duplo plus insumpserit illis. xij. annis quibus regnauit, quàm Franciscus tribus & triginta annis, quibus maxima bella gesserit, & in maximas calamitates inciderit. Moriens Franciscus non exiguam summam numeratæ pecuniæ reliquit. At Henricus æris alieni ducenties uicies centena millia aureorum Germanicorum, seu ut loquimur tres, & triginta miliones Francorum reliquit. Quonam tanta pecunia peruenerit, æquum est istos dicere, cum eius procurationem habuerint, & pro suo arbitrio una cum Cardinali erogarint.

Ex his quæ dicta sunt, satis constare putamus Reuerendiss. et Illustriss. Celsitud. uestris, quæ iam pars præbuerit causam istis ingentibus calamitatibus quibus tota gallia ardet, & planè euertitur. Nulla est enim illius inclyti Regni pars, quæ non redundet sanguine innocentum hominum, lutbetia iam uerius dici potest priorum hominum lanicna, quàm ciuitas in qua iussu senatus corruptißimi concessa est plebi libera potestas rapinarum et cedium armaut in se ipsas eiusdem corporis partes precipuas Regni urbes ab aduersarijs crudeliter direptas, nemo ignorat imo totas prouincias ita deuastatas, ut iam Gallia uideatur esse cadauer illius, non ita dudum florentißimi, quod à uestris maioribus tanta indole, & uirtute constitutum est. Nullum certè extitit in toto orbe pulchrius monumentũ ueteris Gloriæ Germanicæ. Non dubitamus autem V. Reuerendiß. & Illustrißimas celsi. istis nostris malis grauiter affici, sed hoc parum remedij nobis adfert in tantis calamitatibus Deceret certè uos pro insita animis principum Germanorum generositate in hoc incumbere, ut istorum malorum causæ tollantur, et miseras reliquias Gallici Regni conseruare, & tanquam naufragij tabulas colligere. Ad quæ etiam, si uos non impelleret memoria uirtutis maiorum uestrorum, digni sunt certè uestra cõmiseratione afflictißima Regina uidua, Rex pupillus, cuius eximia indoles omnibus summæ uirtutis spem præbet, si Deus, ut speramus, confidimusq; ei uitam longiorem concesserit, quòd si ab omnibus negligamur; præter id quod à nobis metuendum est, nefas ista contempta latius præstet